



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 10. Clementis summi Pontificis luctus ob Ludovici XIV. Regis obitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

acsi semper solium occupasset, & a se-Sæc. XVIII.
 nectutis miseris semper immunis fuisset: A. C. 1715.
 sua enim morum comitate, compla-
 centia, & præclaris naturæ dotibus Re-
 gio Ludovici animo tam dextre domina-
 batur, ut non modo ab ejus arbitrio
 totius Franciæ sors & omnium fortuna
 dependeret, sed etiam ipsemet Rex
 suarum cupiditatum superior evaderet,
 & reparatis vitæ licentiosæ offensionibus
 per assiduas virtutum exercitationes,
 uti semper generosus Heros, ita per-
 fectus demum Christianus viveret, ac
 moreretur.

§. X.

*Clementis summi Pontificis luctus ob
 Ludovici XIV. Regis obitum.*

Intimo doloris sensu intempestivam Lu- *Orat. Con-*
 dovici Regis mortem deplorabat Pon- *sist. p. 123.*
 tifex, haud temere veritus, ne Ludo-
 vico XV. defuncti Pro - Nepote, qui
 tertio genitus Burgundiæ Ducis Filius
 erat, adhuc septenne, proin per æta-
 tem regimini impare, Aurelianensis Dux
 Regni Administrator Constitutionis Pon-
 tificiæ causam segnius pertractaret:
 Eapropter Pontifex die vigesima tertia
 Septembris Purpuratorum confessum
 habuit, ac mærorem suum his verbis
 explicavit:

Vene-

Sæc. XVIII.

A. C. 1715.

Venerabiles Fratres!

„Ingentem dolorem, quem Vos una
 „Nobiscum suscepisse non dubitamus,
 „ubi primum, fama ipsa vulgante, Chri-
 „stianissimum Regem Ludovicum XIV.
 „decessisse audivistis, acerbius hodie
 „renovare, inflictoque animis nostris
 „vulnus exasperare cogimur: dum
 „hunc tristissimum Nuntium ipsum No-
 „bis per literas novi Regis, ac Ducis
 „Aurelianensis Regni Rectoris, insigni-
 „bus utriusque eorum in Nos, & hanc
 „sanctam Sedem filialis observantiæ no-
 „tis refertas, nuperrime confirmatum,
 „vobis ex hoc loco, ut moris est,
 „communicamus; quomodo enim non
 „maxime dolebimus gravissimam non
 „Galliarum tantum, sed universæ pro-
 „fus Christianæ Republicæ jacturam?
 „dolemus profecto splendidissimum ævi
 „nostri lumen ac grande decus extin-
 „ctum: dolemus Nobilium quarumvis
 „disciplinarum ac bonarum artium Fau-
 „torem munificum sublatum, virtutes
 „omnes ac præsertim Catholico ho-
 „mine dignas dolis infensæ hæreseos
 „agitatas, sive etiam sævientis fortunæ
 „injuriis jactatas certo, ac firmissimo
 „præsidio destitutas dolemus. Dole-
 „mus ereptum Evangelii præconibus in
 „remo

„remotioribus Infidelium plagis patro- Sæc. XVIII.
 „num beneficentissimum, orbatam Fi- A. C. 1715.
 „lio Charissimo Apostolicam Sedem,
 „& quod animum nostrum acriori pla-
 „ne sensu percellit, potentissimo defen-
 „fore ac imperterrito vindice Ortho-
 „doxam religionem viduatam dolemus:
 „Non ita tamen dolemus, ut quæ me-
 „rito lenire possunt mærorem nostrum,
 „solatia respuamus.,

„Eædem scilicet inclyti Regis vir-
 „tutes, justitia, pietas, religio, pru-
 „dentia, animi magnitudo, quæ de-
 „jectis in ejus sepulcrum oculis lu-
 „gere Nos cogunt, eis in sublime e-
 „rectis de illius pia credita felicitate
 „lætari Nos jubent: Hanc præ cete-
 „ris sperare nos facit mirificus ille Ze-
 „lus Domus Dei, quo Religiosissimus
 „Princeps semper exarsit, sed tunc præ-
 „cipue, cum jam ante triginta annos
 „omnibus humanæ prudentiæ rationi-
 „bus penitus neglectis, edicta illa ab-
 „rogavit, quæ perduelles hæretici ab-
 „iplius Majoribus Regibus inter bello-
 „rum æstus, & pericula dudum extor-
 „serunt, novisque editis decretis, qui-
 „bus illius sectæ hominibus omnis Tem-
 „plorum usus, ac coeundi libertas in-
 „terdicebatur, brevi paucorum men-
 „suum spatio universam plane Galliam
 „ab ea superstitione liberavit, quæ po-
 „pulos

Sæc. XVIII. „pulos illos civilibus diu bellis misere
 A. C. 1715. „afflixerat, ingenti cum periculo Or-
 „thodoxæ fidei & publicæ incolumi-
 „tatis. Auget spes nostras indefessum
 „studium, quo Rex optimus Catholicæ
 „Doctrinæ tuendæ, eliminandisque er-
 „roribus præsertim vero radicitus ex-
 „tirpandis Jansenianæ hæreseos malis
 „germinibus, propugnandisque latis
 „adversus eam sanctæ hujus Sedis ju-
 „diciis, per tot annorum decursum
 „tam ferventer adlaboravit, & etiam
 „in eo morbo, qui postremus illi labo-
 „rum mortalium fuit, novissimæ no-
 „stræ hac potissimum in re editæ Consti-
 „tutioni inobedientes compescere, om-
 „nique ad id potestatis suæ validiori
 „præsidio Ecclesiasticam Authoritatem
 „fulcire paratus, cæpto jam dudum
 „operi supremam manum adjicere sum-
 „mopere exoptavit? silebimus alia,
 „sed injecta jam postremi morbi men-
 „tione silere non possumus invictam
 „illam, ac vere Christianam fortitudi-
 „nem, qua Rex præstantissimus charo-
 „rum sibi Caputum funeribus jam pri-
 „dem assuetus, ita in ejusmodi morbo
 „se gessit, ut nemo ex veteris philo-
 „sophiæ sectatoribus tam magnifice
 „mortis contemptum decantaverit in
 „scholis, quam ille fortiter exercuit in
 „arena. Hæc sane omnia & alia plu-
 „rima,

„rima, quæ tacemus, suadere facile
 „possent, Ludovicum XIV. non tam
 „diuturno dudum enitentis naturæ la-
 „bore, quam indulgentis dono Provi-
 „dentia fero terris, post longam pa-
 „rentum sterilitatem, a cælo concef-
 „sum, fero itidem emerito cælo fuisse
 „a terris redonatum. Verum quia
 „ut sacræ literæ nos admonent, &
 „nos dolentes dicimus: *Judicium duris-*
 „*simum his, qui præsumunt, fiet,* ideo &
 „ratione ducimur, & debito charitatis
 „urgemur, ut sacrificiis, orationibus
 „& obsecrationibus demortui Regis
 „animæ solatium comparemus. Id por-
 „ro & privatim Nos agere hactenus
 „non prætermisimus, & vos una no-
 „biscum prosequi enixe optamus, hoc
 „ipsum suo tempore publicis in ponti-
 „ficio nostro sacello exequiis stata die
 „vobis indicenda, juxta prædecessorum
 „nostrorum morem solemniter præ-
 „stituri. Deum interim Opt. Max. in
 „cujus manu sunt corda Regum, e-
 „nixe rogemus, ut novi Regis Christia-
 „nissimi Ludovici XV. teneram ætatem
 „custodiat, dirigatque semper ejus
 „gressus in viam mandatorum suorum,
 „quatenus sapientia juxta, ac annis
 „proficiens, expectationi, quæ de illius
 „egregia indole maxima est, abunde
 „respondeat ad subditarum sibi gen-
 „tium

Hist. Eccles. Tom. LXIX.

E tium

Sæc. XVIII.
A. C. 1715.

Sæc. XVIII. „tium quietem, ad Ecclesiæ bonum,
A. C. 1715. „ad Catholicæ Religionis præsidium,
 „Christianæque Reipublicæ felicitatem.,

§. XI.

*Ejusdem summi Pontificis literæ ad
 Ludovicum XV. Franciæ
 Regem.*

*Epist.
 Clem. XI.
 pag. 2087.*

Eodem quoque obsequio Pontifex defuncti Regis memoriam apud Ludovicum XV. ejus Successorem prosequabatur, datisque literis illum ad Proavi sui imitationem hortatus, has ad illum literas die vigesima Septembris dabat:

„Acerbissimum Christianæ Reipublicæ
 „infectum vulnus haud parum sentire
 „videremur, ubi Majestati tuæ, quis
 „fuerit dolor noster, ac mæror in obitu
 „clar. me. Ludovici Francorum Regis
 „Christianissimi Proavi tui, verbis explicare
 „conaremur. Nemo quippe non
 „videt gravissimam hanc jacturam non
 „ad Regiam tuam domum duntaxat,
 „istudque florentissimum Regnum, sed
 „ad universum propemodum terrarum
 „orbem, cujus ille splendissimum decus
 „erat & ornamentum atque ad Orthodoxam
 „inprimis religionem, quam strenuo
 „invictoquo animo semper asseruit,